

Doc. 11

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Doc. 11

[1239, successivamente al novembre]

Omnipotenti Deo, per quem reges regnant et principes optinent principatum, a quo solo munere defluunt bonitates, universi et singuli pronis vultibus toto corde gratias agimus, quod personalis vestra maiestas, mundo et rebus valde necessaria, potitur desiderabili sospitate, quod succedentibus prosperis felicia vobis tempora diriguntur, qui per virtutem quam accepistis ex alto et sapientie plenitudinem qua pre cunctis terre principibus magnificamini, benignitatis cooperante gratia, ponentes aspera in vias planas, et tam diversa quam adversa regulariter adequatis, ut temporibus nostris malitie destructis fomentis, celestis iustitie regula gaudeant universa. Talem namque decebat orbem habere principem, qui de virtute iustificaret, in benignitate de sapientia gubernaret, foveret subditas hominum nationes.

Verum quod nos, vestre acquisitionis populus, ut nova gens vestri operis, vero non infima felicitati connectimur, letari debet augeri, quod suorum numerus est adauctus, et quod propagationis scolastice vinea, quam imperialis manus plantavit, crevit in altum et folia dilatavit, quod Neapoli celebre studium viget ad plenum in omnibus, ita quod nunc dici potest in civitate Cesaris sonant iugiter philosophorum organa. Nam ibi gramatica sufficienter sua rudimenta premitit, logica silogismos discutit, medicinas aperit fisica, emittit dulces suadelas rethorica, colligit ars metrica numeros, distinguit spatia geometria, celestes format musica sonos, astrorum astronomia cursus edocet, lites leges dirimunt, dubia decreta decernunt, theologia aperit celum, mentem denique tollit in altum, et, ut breviter concludamus, in omni parte philosophie Neapolis perfectioni reperitur.

Unum tamen et solum defectum patitur, quod vestri solum ad tempus caremus presentia, ut ad emisperium dulcis Apulie brevi circuitu revolvatur. Ceterum cum sub umbra respiremus protectionis imperatorie maiestatis et status noster existat incolumis, magistros et scolares habere dignemini comendatos operi vestre de solita clementia, favorabilem gratiam impendentes, ut in diebus illis, quos Ille multiplicet, qui diem fecit et noctem, tanti boni novitas nulli moritura per Eum sub tali et tanto augusto feliciter augeatur, et inter pacem et iustitiam, quas propagastis vestris, sapientia medium locum teneat, sine qua nichil perfectum est, nichil rationabiliter gubernatur.

2

3

4

5

6

Cfr. *Prov.*, 8, 15-16. Per l'uso di tale espressione in ambiente svevo cfr. Delle Donne, *Un'inedita lettera* cit., pp. 303-304.

Cfr. Boet., *Cons.*, metr. III 9, 6 e 10-11; cfr. anche Petrus de Vinea, *Epist.*, III 44 (= Delle Donne, *Il potere* cit., p. 63).

Cfr. Petrus de Vinea, *Epist.*, III 44 (= Delle Donne, *Il potere* cit., p. 64).

Cfr. *Missale Romanum*, *Orationes solennes in Passione Domini*; nonché Petrus de Vinea, *Epist.*, III 44 (= Delle Donne, *Il potere* cit., p. 63).

Cfr. Petrus de Vinea, *Epist.*, III 45 (= Nicola da Rocca, *Epistolae* cit., n. 15, p. 33). Cfr. anche il doc. 3.